



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Ejus exercitij prima velut adumbratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

cap. 31.

P. 2. tract. 7.  
c. 7.

ceptæ ignominia gratiâ, vel propter opprobrium conscientiamve malefacti, pudore quodam oppressi, aliorum ore erubescimus, aut ipsi nosmet æquo animo vix ferimus; secundum illud Prophetæ Jeremiæ: *Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Qui itidem affectus, proles quædam videtur esse antememorata à nobis admirationis. Sic enim Alphonsus Rodriquez noster tractatu de meditanda Passione Domini, de ea ipsa admiratione agens, docet in ea contineri magnum Dei amorem, magnam approbationem ac sensum divini beneficii, & magis demum confusionem nostram. Quippe ex divina admiratione bonitatis, quæ super omnia in hoc elucet, quod Deus unigenitum suum pro nobis redimendis tradiderit morti, subnascitur confestim in homine pudor ingenuitatis; confusio, quod peccatis suis Dei Filium ad crucem adegerit: Unde ad extremum suboritur etiam satisfaciendi Deo; eamque tantam injuriam in semetipso ulciscendi, cupiditas; quam proximo capiti reservamus discutiendam.

## §. I.

*Ejus exercitij prima velut adumbratio.*

**P**ORRÒ in præsentis utilis erit exercitij ratio; si quandoque in Dei conspectu & celestis curiæ consistentes, & totius scelerum nostrorum conscij, ex eo præcipue confundamur animo, quod peccatis nostris peremerimus Unigenitum Dei; neque eo contenti, etiamnum fortasse pergamus, tantam bonitatem in dies & horas offendere, & novas novasque divinae mortis causas (quantum in nobis est) præbere ac suppeditare.

Primum enim, si cum animo tuo rei gravissima momenta penses, quo vultu consistes, peccator infelix, ante oculos æterni Patris, cujus Unigenitum, scelera tua atrocitate, tanquam telo crudeli, confeceris? Qui compar-



parebis in conspectu Matris amantissimæ, illas ostentans parricidales manus, etiamnum dilecti filij indignâ cœde cruentatas? Qui sustinebis tot millium Angelorum oculos, cæterarumq; rerum te circumstantium præsentiam, conditorem suum tam indignè sublatum frementium, & te, ut maleficiæ ac cœdis autorem, uno ore quodammodo ad ultionem ac pœnam deposcentium?

Hic enim jam profectò locum habet, quod suggerit S. Ignatius in Meditatione de peccatis; ut nimirum in exclamationem prorumpas, ex commotione affectûs vehementi; admirando valde, quomodo creaturæ omnes te sustinerint tam diu, & huc usque vitam servaverint; quomodo Angeli divinæ justitiæ gladium ferentes, æquo te animo tulerint: quomodo cœlum, Sol, Luna, elementa, debita vindictæ loco tibi servierint: quo denique modo non absorbuerit te dehiscens tellus; & quæ sequuntur.

Quo etiam modo adversum se sub peccatoris figurâ, insurgentia & occlamitantia sigillatim elementa omnia, imaginatur quodam loco S. Bonaventura, uti paulò post rursum indicabimus.

Neque obstabit, quòd culpis gravioribus abdicatis, fortassis jam cum bono Deo in gratiam redieris, eiq; servire atque obsequi pio studio contendas.

Ut enim omitram; nunquam tibi ex eo defore pudendi erubescendiq; materiam, quòd post tantam tuam in priori vita licentiam, & tam immensam dulcissimi Jæsu adversum te benignitatem, tot adhuc peccatis, venialibus licet, eum offendas, eundemq; tam frigidè redames, tamq; remissè atque ignavè ei servias: id modò dixerò; utile etiam esse homini justo, ad humilem de se ipso sensum, ad peccati horrorem ac fugam, ad amorem denique summè benefici Redemptoris, aliòsq; probos conciliandos affectus, juventutis suæ delicta recogitantem, quandoque personam pec-

H h h

cato-